









1710.

19. W. Evangelius, Christianus: *De eo, quod est iustum,*  
*sed non liberum*

20<sup>o</sup>, t. W. Evangelius, Christianus: *I. commendato filii*  
*3 Sept.*

21<sup>o</sup>, b, c W. Evangelius, Christianus: *De Divisione parentium*  
*inter liberos. 3 Sept. 1710. 1737*

22. W. Evangelius, Christ: *De fiduciis commissis.*

23<sup>o</sup>, b, c, W. Evangelius, Christ: *De cipitulatione perpetua.*  
= *3 Sept. 1710. 1742.*

24<sup>o</sup>, t. W. Evangelius, Christianus: *De partibus legatus 1 Sept.*





34551

882. 3.  
1710,20<sup>a</sup> 2  
J. N. J.  
DISPVATATIO JVRIDICA  
*De*  
**COMMODATO FILII**

Ob ein Sohn Macht habeemanden etwas  
zum Gebrauch zuverlehnien.

*Quam*  
DIVINA FAVENTE GRATIA  
SVB PRÆSIDIO  
VIRI ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIME  
DOMINI  
**CHRISTIANI WILDVOGELII**

ICTI,  
SERENISS. DVCIS SAXO-ISENAČ. CONSILIARII STATVS INTIMI,  
CVRIÆ PROV. FACVLT. JVRID. ET SCABIN. ASSESSORIS GRA-  
VISSIMI ET ANTECESSORIS FAMIGERATISSIMI.

*Dn. Patroni & Præceptoris sui omni obser-*  
*vantia cultu devenerandi,*  
*Publicæ Eruditorum ventilationi subjicit,*

AVTOR & RESPONEENS  
**SAMVEL Verber/ Lubenâ Lusatus.**

D. JVNII ANMO. M. DCC. X.  
IN AVDITORIO JCTORVM

---

JENÆ,  
LITTERIS MULLERIANIS.

COMMODATO FILII  
DEO  
ET  
PATRONIS.



## PRAEFATIO.

Omines hominum causae esse  
generatos, ut ipsi inter se alii  
aliis prodesse possint. Cicero.  
Offic. docet & Seneca de  
Ira lib. 1. cap. 7. scribit, homi-  
nem in mutuum adjutorium  
natum esse: Cicero quoque  
præallegato in loco, Platonem laudat, quod  
præclare ita scripsit: Non nobis solum nati su-  
mus, sed ortus nostri partem patria, partem Pa-  
rentes, partem amici videntur. Hoc si quis  
exemplis prolixius velit probare, quod nimis  
homo sine opera & auxilio alterius vivere non  
possit, quid aliud ille faceret, quam Soli lucem  
addere? Experientia namque satistestatur, homi-  
nem hominis auxilio & amicitia indigere. Be-  
ne Stratemannus in suis Institutionibus Ethicis

CARTA

A 2

lib.

lib. 5. can. 5. ait: *Omnes homines amicis indigent,*  
*tam juvenes, quam senes, tam divites, quam*  
*pauperes, tam sani, quam agroti.* Cum jam de  
 specimine quodam publico profectuum in Studio juridico meorum edendo cogitarem, diu mul-  
 tumque hæsitavi, quodnam argumentum Dis-  
 putationis loco eligerem; in mentem demum  
 veniebant verba, quæ in l. 25. ff. de liberat. legat.  
 leguntur: *Plenius, rogo, quæ ad banc spectant,*  
*attinas, cottidiana enim sunt:* ubi Gothofred. in  
 notis monet: *quotidiana plenitus tractanaa esse.*  
 Argumento prædictæ legis commoūus, nolui ali-  
 quid colligere de ejusmodi materia, quæ subtilita-  
 tem tantum spirat, parumque utilitatis habet, sed  
 potius thema selegi utilitatem præbens, & inter  
 homines quotidie occurrens. *Commodati ve-*  
*ro materiam utilem esse atque frequentem, non*  
 facile quis negabit, præsertim hisce temporibus,  
 ubi maxima hominum pars de rerum inopia con-  
 queritur: JCtus sane Pomponius in l. 3. ff. de ju-  
 fit. *& jure dicit natura quandam cognationem*  
 inter nos constituit. Cognatus igitur si cognato  
 succurrere posset, illudque intermitteret, verus  
 & bonus cognatus non esset censendus, æquitas  
 quippe naturalis homini auxiliatrices præbere  
 manus

manus efflagitat, tamen si sanguine non sit junctus,  
 & hominis hominim beneficio affici, interest,  
*l. 7. ff. de serb. export.* Hinc Disputationem de  
**COMMODATO FILII**, non pro materiae di-  
 gnitate & utilitate, sed quantum ingenii mei per-  
 mittunt vires, conscribere tentavi. Antequam  
 vero rem aggrediar, Principitum finemque consti-  
 tuam DEUM; difficulter enim admodum bona per-  
 aguntur exitu, malo quæ inchoata sunt princi-  
 pio, *can. 5. Dicit. 61. & in Nov. 6. p. 2. & Nov. 109.*  
*p. 2.* Justinianus inquit: *Bene & competenter o-*  
*mnia procedunt, si rei principium fiat decens &*  
*amabile DEO.* Paulus quoque *ad Colossens.*  
*cap. 3. vers. 17.* ait: *Omnia, quæ facturi sitis, facia-*  
*tis in nomine Domini nostri JESU Christi.*

## CAPVT I.

### Continens explicationem vocum

S. I.

**P**Rior verborum, potior tamen rerum  
 habenda est ratio, *arg. l. 7. §. 2. in*  
*fine ff. de supellect. legat. l. 1. pr. ff.*  
*reb. credit.* ideo pauca quædam,  
 ad tituli explicationem pertinentia, præmittenda

A 3

sunt.

sunt. Commodatum a *commodare* dicitur, Eckholt. ad ff. tit. *commodati* c. 1. commodatum inde dictum putat, vel quod præscripto & certo modo, vel quod ad *commodum* alterius detur. Accipitur autem verbum *commodare* vel generaliter, vel specialiter: In generali acceptione denotat, beneficium alicui impertiri, inservire alterius commendo; In speciali consideratione jure nostro civili significat, ad certum usum rem alicui gratis certo modo utendam dare. l. 17. §. 3. ff. *commodat.* vel *contra,* & hoc intuitu *commodare* non est convenire de re utenda danda, sic enim nudum esset pactum, non contractus; sed rem utendam dare & tradere. Vinn. ad §. 2. f. quib. mod. re *contrab.* oblig. n.r. verb. re *obligatur.* Huc referri potest l. 1. §. 3. ff. de *obligat.* & *action.* ubi Gajus dicit: *Is, cui rem aliquam damus, re nobis obligatur.*

§. II. Commodatum porro interdum pro contractu reali accipitur, l. 5. §. 2. l. 17. pr. ff. *commod.* Nonnunquam pro re, quæ *commodatur*, l. 3. §. 3. l. 5. pr. l. 13. ff. d.t. Aliquando pro obligatio vel actione *commodari.* arg. tit. ff. *commod.* vel *contr.* §. 28. f. *de action.*

§. III. *Filius* regulariter ille appellatur, qui patrem

§§ (7) 58

pārem habet; filius enim & pāter sunt correlāta, & posito uno correlatorum ponitur quoque alterum. Everhard a Middelburg in locis argūment. legal. loco 20. l. 6. pr. ff. de his, qui sui vel alieni jur. sunt. Ul̄ plantis filium definit eum, qui ex viro & uxore ejus natus est, scilicet ex legiti-  
mo matrimonio, unde sequitur, illum non esse filium, qui ex illegitimo procreatus est matrimoniō, quoniam pater is vocatur, quem iustae nuptiæ demonstrant, §. 12. Inſtit. de nupt. l. 5.  
ff. de in jas vocand.

§. IV. Quid vero juris, si mater in ultime vita articulo negaret (forsan odio mariti) filium esse natum ex marito; Struv. ad ff. Exerc. 3. l. 43. dicit: Matri non esse credendum, nisi imprægnationem ab alio factam probri possit, arg. l. 3. §. 1. ff. de Senatusc. Silan. aut mariti absentia, aut aliud quid impedimento fuerit, l. 6. de his, qui sui vel alieni jur. sunt, Hahn. ad VVesemb. d. t. n. 2. pr. In dubio quoque, filium natum ex uxore, cum qua & maritus & adulter consuetudinem habuit, habendum, ac si mariti esset. Gail. l. 2. observat. practic. observ. 97. n. 7. Hoc tamen non simpliciter verum esse existimat Struv. d. Exerc. 3. §. 43. Et 44. Schnei-  
devv.

devv. ad §. præjudiciales 13. Instit. de actionib.  
n. 36.

§. V. Filii appellatione omnes liberi intelliguntur, l. 84. ff. de verb. signif. l. 220. §. 1. C. 3. d. i. Obstare quidem videtur §. ult. Inst. qui testam. tutor. dari poss. ubi filiorum appellatione nepotes comprehenduntur. Sed responsio desumi potest ex l. 201. ff. de verb. sign. videlicet, tunc nepotes sub appellatione filiorum comprehendendi, si justa interpretatio hoc suadeat, qualis in cit. §. ult. Inst. non requiritur. Hinc tutor in testamento non est datus nepotibus, alii tutores esse posunt, vel ex lege, vel ex ordinatione magistratus: a significatione enim verborum non aliter recedi oportet, quam cum manifestum est, aliud sensisse testatorem. l. 69. pr. ff. de leg. 3.

§. VI. Differunt autem filius & filiusfamilias. Filius est nomen naturæ, filiusfamilias vero juris nomen. Filius dicitur, qui habet patrem, filiusfamilias autem, qui est in potestate sui patris. l. 93. de lib. 3. qui sui vel alieni jur. wissenbach. ad l. 93. de reg. jur. Struv. ad ff. Exerc. 3. §. 34.

§. VII. Filius annumerari potest Censo, qua-

59 (9) 50

qualis vocatur, qui ex utero matris exsectus est, inde *Cesaris* nomen deductum putatur, quod is, cui primum id vocabulum inditum est, caesō matris utero editus fuerit. *VVissenb. ad l. 132. ff. de verb. signific. §. 4.* Habetur autem pro nato, qui utero matris exsectus est, rumpit igitur testamentum, *l. 12. pr. ff. de liber. & postb. hered. inst. l. 6. in fine princ. ff. de inoffic. testam.* quod non fieret, si non filius esset. Admittitur quoque ad legitimam matris hereditatem. *l. 1. §. 5. ff. ad SC. Tertull. & Orphitian.* In *l. 132. §. 1. ff. de verb. sign.* quidem dicitur, falsum esse, eam perire, cui mortuæ filii exsectus est, nihilo tamen minus exsectus ille ibi vocatur filius. Addi potest *l. 141. ff. d. t.*

*§. VIII.* Per emancipationem desinit quidem filius esse in patris potestate, *§. 6. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv.* & desinit esse filius familias, respectu enim honorum paternorum pro extraneo habetur; neutiquam tamē desinit esse filius, nam jura sanguinis nullo jure civili dirimi possunt, *l. 8. ff. de reg. jur. & civilis ratio civilia jura corrumpere potest, naturalia non utique.* *§. 3. Inst. de legit. agnat. tutel. l. 8. ff. de capit. minut.* Emancipatio olim fiebat per imaginariam

B

vendi-

venditionem, postea per imperiale rescriptum, a  
competente denique judice, vel coram magi-  
stratu, §. 6. *Instit. quib. mod. jus patr. potest. sol. v.*  
ibique Schneidev. & Vinnius. Eckholt. *ad ff. de*  
*adopt. & emancip.* ibique Svendend. Hodie in  
quibusdam locis loco emancipationis habetur,  
quando liberi majorenres propriam a paterna  
separatam instituant economiam. Struv. *ad ff.*  
*Exerc. 3. §. 68.* Lauterb. *in comp. ff. de adopt. & e-*  
*mancip. in fine.*

§. IX. Filii nomen & jus non amittitur,  
quando pater in furorem incidit, *arg. l. 20. ff. de*  
*statu hom.* Et furioso quidem non permittitur  
nuptias celebrare, quoniam in nuptiis contra-  
hendis consensus requiritur. *pr. Inst. de nuptiis.*  
Furiosus autem nullam habet voluntatem nec  
intellecsum. *l. 40. ff. de reg. jur.* & sic consentire  
nequit; furor autem superveniens matrimonium  
non tollit.

§. X. Hisce præmissis describitur **COMMO-**  
**DATUM FILII**, quod sit *Contractus realis*, quo  
gratis res patrem habenti, aut ab illo, utenda tra-  
ditur, ita ut illa finito usu in specie restituatur.  
Dicitur *Contractus realis*, solus enim consensus  
non sufficit in commodato ad ejus perfectionem.

Gra-

§ (11) §

*Gratis quoque fieri debet commodatum, alias in aliis degenerat contractum, honorarium tam accedere potest.* Eckholt. *ad ff. tit. commod.* §. 4. ibique Svendend. Lauterb. *in Comp. d. t. Patris nomine etiam avus comprehenditur, l. 201. ff. de verb. signif. in fin.* In l.s. ff. *de jesus vocand.* pater ille dicitur, quem justæ nuptiæ demonstrant. *Finito usu* regulariter res commodata repetitur, nisi ex nova & inopinata causa propriis usibus eam necessariam esse concedens probaverit. Lauterb. *ad ff. commod.* Struv. *ad d. t. Exerc. 19. §. 8.* Hahn. *ad VVesenb. eod. tit. n. 11.* Tandem dictum est, *commodatum in specie restituendum esse,* §. 2. *Inst. quib. mod. re contrab. obligat. l. 2. pr. 4. ff. de reb. credit.* Nec sufficit rem *commodatam* *commodanti exhibere, sed restitutio requiriatur.* Plus est enim in *restitutione, quam in exhibitione,* l. 22. l. ult. §. 1. ff. *de verb. signif.*

## CAPVT II.

### *Agens de Persona commodante.*

§. I.

**A**Patre filii *commodantis & commodatarii,* *præter consensum, rei traditio accedat*

B 2

necess

necessæ est, annumeratur enim hic contractus re-alibus §.2. Inst. quib. mod. re contrab. obligat. Tradition autem est vel vera, vel ficta, sive brevis manus: interdum ficta traditio ad perfectionem commodati sufficit, e. g. Petrus filius depositus rem quandam apud Paulum, tertius quidam desiderat a Petro rem depositam sibi commodari ad certum tempus, consentiente Petro fit commodatum. Nihil igitur interest, filius ipse tradat, an eo volente alius quidam. §.42. Inst. de rer. divis. & acquir. ipsar. domin. Quod quis enim per alium facit, idem est, ac si ipse fecisset, arg. l. 56. ff. de solut. & liberat. l. 152. §. 1. ff. de regul. jur. Gail. lib. 1. de pac. publ. cap. 1. n. 35.

§. II. Post emancipationem filius non ut filius, sed ut extraneus consideratur, & si quid acquirit, id sibi acquirit. l. 1. pr. ff. si quis a patr. manumis. nam emancipatione liberalitas in emancipatum confertur, d. l. pr. & est illa beneficium l. 7. ff. ut legator seu fideimanumis. serv. caus. car. l. 2. in f. c. de bon. qua liber. indeque is liberam bonorum suorum administrationem consequitur atque alienationem. Est autem omnis alienatio actus, per quem dominium transfertur, l. 1. C. de fundo dotali. l. 28. pr. ff. de verb. signific.

Et

§. (13) 60

Et quoniam filius emancipatus alienandi habet facultatem, etiam commodandi facultatem habebit, in alienatione enim dominium transfertur, in commodato autem retinetur.

§. III. Filius impubes emancipatis etiam liberatur a patria potestate, §. 6. *Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv.* incidit autem in tutelam emancipantis, all. §. 6. *Inst. t. t. Inst. de legitim. agnat. tut.* Qui autem sub tutela alterius est, suam conditionem meliorem facere potest, non deteriorem, pr. *Inst. de autor. tutor.* In casu ergo, ubi iste impubes suam conditionem meliorem facturus esset, commodatum locum habebit.

§. IV. Olim patri emancipando filium, ex rebus, quæ acquisitionem effugiebant, tertiam partem retinere licebat, quasi pro præmio emancipationis. Postea pro tertia parte proprietatis, dimidiā ususfructus partem Justinianus ipsi permisit. §. 2. *Inst. per quas person. cuique acquir.* hinc ratione istius tertiaz partis commoda-re non licebat. Hodie filius emancipatus omnia retinet, Hopp. in *Exam. Instit. ad all. tit. quæst. 22. Struv. ad ff. Exerc. 12. §. 5. n. 2.* Ideo tali filio commodare permisum.

B 3

§. V.

S. V. Donans rem quandam filio, qui sibi  
juris est, reservat sibi ad dies vitæ, quoties opus  
erit, jus illa utendi: Rem ita donatam Causus de-  
siderat sibi commodari ad certum tempus a do-  
mino ea re non utente: filius ante traditionem  
patris consensum in commodanda re impiorat,  
eoque consentiente filius commodat Cajo. Com-  
modatario moram in restituendo committente,  
prædictæ tres personæ, nempe donans, pater &  
filius, simul rem commodatam repetunt; queri-  
tur, cui res commodata sit restituenda? Resp.  
non donanti, quia per donationem & traditio-  
nem dominium in donatarium transiit, & donans  
eo tempore rem repetit a commodatario, quo  
ea re non utitur, nec uti potest: Nec patri, quia  
huic nihil juris in re commodata competit, &  
filius sine consensu patris commodandi potesta-  
tem habebat, quod autem patris consensum ad-  
hibuerit, non erat necessitatis, nec filius exinde  
aliquid juris in patrem transtulit, suamque con-  
ditionem deteriorem fecit; sed ipsi filio, tanquam  
vero domino, rei commodatae repetitio datur,  
*I. 31. §. 1. ff. depositi*, nam justitia suum cuique  
tribuit, ut tamen non distrahatur ab ullius perso-  
na justiore repetitione.

§. VI.

153 (15) 80

§. VI. Spurius dicitur, quasi sine patre filius, §. 12. *Inst. de nupt.* nec haber agnatos, cum agnatio a patre sit, cognatio a matre. §. 4. *Inst. de success. cognat.* Vinn. in *not. ad cit.* §. 4. & ad spurium nullius hereditas, nec ad aliquem hereditas spuri pertinere potest, quoniam agnationis jus à patre oritur, quem non habere intelligitur is, qui vulgo conceptus est. l. 4. ff. *un. de cognatis*, l. 19. l. 23. ff. *de statu homin.* Hoc intuitu spurius, sive vulgo quæsusitus, nihil habet, atque sic nihil commodare potest; quod si tamen à matre vel ab extraneo quid acquisiverit, vel suis manibus sibi comparaverit, commodandi facultatem habet. Non obstat, spurius pro infamibus haberi, cum infamibus autem honesta persona non conversatur, nemoque ab ejusmodi personis facile quid petet. Respondeatur, posito, quod a spurio nemo sibi aliquid commodari desideret, commodandi tamen facultas adest. Deinde infamiam quod attinet, statuit Gabriel Palæot. in *Tract. de nothis*, illos infames non esse: Crimen enim paternum nullam maculam filio infligere potest, sed unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur, nec alieni criminis successor constituitur. l. 26. ff. *de poen.* & undecunque homines pascuntur, si paren.

parentum vitia non sectantur, honestos esse, dicitur in can. undecunque 3. dist. 30. can. 8. caus. 32. quest. 4. Macula quidem spuriis adhaeret, ut ait Vinn. ad §. 1. Inst. de inoffic. testam. sed non ex facto sic nascentium, sed ex vitio & defectu naturalium.

§. VII. Si cum patres simul succedat filius, in bonis a fratre vel sorore relictis patri non competit ususfructus Nov. 118. cap. 2. sed proprietas una cum usufructu ad fratrem, heredem fratris, pertinet, annumerantur enim ejusmodi bona hereditaria peculio adventitio extraordinario. In hisce igitur a fratre defuncto bonis acquisitis cum filius plenum accipiat dominium, inde alteri eas commodare potest, quoniam & talia bona donare non prohibetur. Plus est autem donare, minus commodare. Cui igitur licet, quod est minus, illi etiam licebit, quod est minus. cap. 53. de reg. iur. in 6.

§. VIII. Inveniuntur interdum hermaphroditii sive androgyni, atque hi illi sexui annumerantur, que in ius praevalet. 1. ro. de stat. homin. 1. 15. §. 1. ff. de testibus. Quod si post inspectiōnem quis in utroque sexu aequaliter validus reperiatur, id quod fieri posse arbitratur Zachias lib. 3.

§ (17) §

I. 3. *quaestion. medico legal.* eundem utroque sexu uti posse; putat Simon *Disput. de impotent, conjug.* §. 4. l. 6. §. 2. ff. *de liber. & postb. hered. insit.* ita tamen, ut sexus semel electus deinceps retineri debeat. Lauterb. in *Compend. de statu homin.* Quando autem alterutro contra electionem abutitur, gravissima poena constituitur. Feltman. *in comment. ad l. 10. ff. de statu homin.* Si revera est dubii sexus, tunc isti sexui annumeratur, quem ipse elegit. Hahn. *ad VVesenb. de statu homin. n. 3.* Brunnem. *ad VVesenbec. parat. alleg. tit. quest. 4.* eos in dubio masculino sexui adscribit, hinc feudorum sunt capaces. Addi potest Eckholt. *cit. tit. §. 2.* Et quando hermaphroditus annumeratur sexui masculino, admittitur ad officium judicis, nec non Advocati. Hahn. *ad VVesenb. all. tit.* Quid igitur impedimento ipsi erit, quo minus possit commodare?

§. IX. Filius si Consul vel Senator factus sit, nullum dubium est, quin commodare possit, habet enim propria bona, sive quasi castreria, quare pater huic, ne contractum commodati exerceat, prohibendi jus non habet. Dicitur quidem in §. 4. *Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv.* quod Consul aut Senator sint in patris po-

C

testa-

testate, quæ patria potestas confirmatur in l. 13.  
 §. ult. ff. ad Sct. Trebellian. sed additur etiam in  
 d. §. ult. quod Consul aut Senator, quatenus ut  
 Magistratus consideratur, patrem certo respectu  
 cogere possit ad aliquid faciendum. In publi-  
 cis enim causis filiusfamilias pro patrefamilias ha-  
 betur, l. 9. ff. de bis, qui sui vel alienijur. sunt.

§. X. Filius possidens bona propria, com-  
 modat quædam ex eis sanguine sibi non juncto;  
 frater commodantis efflagitat etiam sibi com-  
 modari, queritur, an frater cogi possit ad com-  
 modandum? Negatur, arg. l. 11. ff. de reg. jur. nam  
 frater tenetur quidem ratione misericordiae &  
 fraternali amoris commodare fratri, ast contra vo-  
 luntatem cogi nequit, quemadmodum enim in  
 vito beneficium non datur, l. 69. ff. de reg. jur.  
 ita ab invito beneficium exigi nequit: Huc fa-  
 cit. l. 17. §. 3. ff. commod. ubi dicitur, voluntatis &  
 officii magis, quam necessitatis, esse commodare.

§. XI. Filius possidens bona propria de-  
 hisse commodare sibi proposuit, pater expresse  
 prohibet, ne filius commodando alicui succur-  
 sat, hæc prohibitio patri permissa videtur, arg.  
 l. 14. ff. commod. nam filius patri parere, ejusque  
 mandato non resistere obligatus est, l. 2. ff. de  
 just.

§ (19) 5

*just. & jur. & filio semper honesta & sancta patris persona videri debet, l. 9. ff. de obseq. parent. & patron. praest.* Pro filio vero fortiores militant rationes, nam quilibet rei sua moderator est arbiter; l. 21. C. mandati. & expedit reip. ne quis re sua male utatur. §. 2. Inst. de his, qui sui vel alie. jur. sunt. imo nulli commodando succurrere, dummodo eo hoc sine ullo damno fieri possit, contrariatur charitati, bonis moribus atque precepto divino: plus autem DEO, quam hominibus obediendum, Actor. cap. 5. Quia & jure civili dicitur, mandatum, quod contra bonos mores est, non esse obligatorium. §. 7. Inst. mandat. l. 6. §. 3. l. 22. §. 6. ff. eod. tit.

§. XII. Multa privilegia tributa sunt filiis in militia degentibus, quamvis adhuc patriæ potestati subsint: militia enim non est modus liberandi filium a nexu patriæ potestatis, §. 4. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv. l. 7. C. de patr. potest. quæ privilegia filiis extra militiam degentibus non competit. Nihil autem refert, utrum quis pedes stipendia mereatur, an eques. Vinn. ad §. ult. Inst. d. t. In classibus omnes nau- tæ & remiges milites sunt, l. 1. §. 1. ff. de honor. possess. & testam. milit. In castris si hocce peculio-

§ (20) §

filius fam. pro-patre familias habetur, l. 2. ff. de  
S. Macedon. nec in eo peculio quicquam juris  
patri competit, l. 3. C. de castr. pecul. milit. lib. XII.  
Hinc nihil impedit, filium familias, de ejusmodi  
peculio commodare posse.

§. XIII. De quasi castrensi peculio filio-  
familias etiam commodandi potestas tributa  
est, cum ad exemplum castrensis peculii hoc in-  
troductionem sit, §. ult. Inst. de milit. testam. Jam  
Ulpianus in l. 7. §. ult. ff. donation. inquit: *Qui  
castrense, vel quasi castrense peculium habent,  
in ea conditione sunt, ut donare possint,* sequitur  
ergo, commodare illis prohibitum non esse. Ar-  
gumentum enim potest desimi a majori ad mi-  
nus, ex l. 21. ff. de reg. jur. l. 2. c. ne fidejuss. vel  
mandator. dot. dentur. Donatione siquidem  
dominium transfertur, in commodato illud re-  
tinetur, nec amittitur, sed usus solum ad tem-  
pus conceditur.

§. XIV. In peculio adventitio ordinario  
filius familias habet proprietatem, pater nsumfru-  
ctum, §. 11. Inst. per quas person. cuique acqu. &  
quidem ad tempus vitae, l. ult, §. 5. in f. C. de bon.  
qua liber. Jam an filio de hoc peculio com-  
modare liceat, dubitari potest, ob l. 6. §. 2. C. d.t.

nam

nam pater plenissimam ibi habet administratio-  
nem, etiamsi filius perfectæ sit ætatis, *l. ult. §.3.*  
*verb. cuiuscunque ætatis filium, eod. tit.* neque  
potest filius de eo peculio testari, neque ei ulla  
licentia concessa, rem alienandi vel hypothecæ  
loco dandi, *d. l. ult. §.5. in f.* ubi sequentia inve-  
niuntur verbe: *Melius est cogitare juveniles*  
*calores, ne cupidini dediti tristem exitum senti-*  
*ant, qui eos post dispersum expectat patrimonium*  
Veruntamen de ejusmodi peculio filius commo-  
dare absolute non prohibetur, nam in *all. §.5.*  
dicitur, quod citra voluntatem eorum, quorum  
sunt in potestate, id eis non liceat. Consentiente  
igitur patre potest filius familias peculium adven-  
titium ordinarium alienare, hypothecæ dare, &  
sic etiam commodare, volenti enim non fit in-  
juria. *l. r. §.5. ff. de injur.* & nemo videtur frauda-  
re eos, qui sciunt & consentiunt. Ulterius ibi  
dicitur: *Quorum in potestate sunt, ergo si non*  
*amplius in patris potestate degunt, possunt te-*  
*stari, alienare, & quoque commodare.*

§. XV. Quæritur autem, res apud filium  
reperta, aur profectio, an adventitio peculio ac-  
censenda? Lauterb. in compendio ff. ad tit. de  
pecul. ait, si filius est industrius & artifex, pa-

ter autem pauper, a filio acquisitum in dubio  
præsumitur. Et Dn. Georg. Beyer ad. ff. d. t. posit.  
9. & 10. allegat Zasium, qui ad §. 10. Inst. de  
action. n. 7. sequentem distinctionem commen-  
dat, & per Jovem rogat, ut eam observemus;  
quippe qua in arduo negotio consultus parti suæ  
obtinuerit 3000. florenos, scilicet peculium filii  
industrii & artificis, patre paupere, præsumi ad-  
ventitium, si vero filius segnis, qui nescit opera-  
ri, & pater dives haberi pro profectio. Quam-  
vis vero hoc peculium pro adventitio ordinario  
sit habendum, attamen pater plenissimam admi-  
nistrationem habet, quam diu hic filius patiæ  
potestati subiectus, & sine patris consensu com-  
modandi facultate destituitur.

§. XVI. In peculio porro adventitio extra-  
ordinario filius plenum dominium habet, adeo-  
que de illo per modum inter vivos libere  
disponit. Nov. 117. cap. 6. §. 1. ideo etiam commo-  
dare potest rem suam, & si Testamentum confi-  
cere nequeat, l. pen. C. qui testam. facere posst.  
ne permittente quidem patre, pr. Inst. quib. non  
est permis. fac. testam. Nec obstat, quemlibet  
juri pro se introducto renunciare posse, l. 41. ff.  
de pact. l. 41. ff. de minor. 25. ann. Respondeatur,  
enim

## §§ (27) 58

enim, suo vel privato juri potest renunciari, non autem publico. *I. 38. ff. de pact.* Testamenti autem factio non juri privato, sed publico adscribitur, & non est filii, sed patrisfamilias.

§. XVII. Filiusfamilias tamen, cuius pater furore corrumpitur, commodare potest, quia durante patris furore, ejusmodi filiusfamilias nuptias celebrare non prohibetur. *pr. Inst. de nupti. I. 28. C. de Episcop. audient. I. 25. C. de nupt.* Per nuptias autem patri majus præjudicium generatur, quam per rei ad certum tempus & usum traditionem, & quia filiusfamilias furiosi patris sœpe alterius consilium & auxilium implorare necesse habet, ideo aliis commodando succurrere æquum est. Beneficio enim affici hominem, hominis interest. *Matth. cap. 5. v. 44.* Et benefaciensi nobis rufus benefacere debemus, quoniam, quod tibi vis fieri, alteri quoque feceris. Commodatum præterea in jure divino probatur. *Exod. cap. 22. v. 14.*

§. XIX. Peculio adventitio extraordinario adscribitur, si filius institutus heres, mortuo testatore, pater ad adeundam hereditatem consensum dare recuset, tunc enim ipsi filio hereditatem adire permititur, pater autem usumfrui

etum

Etum harum rerum hereditariarum pertit. *l. fin.*  
*pr. verb. sive e contrario C. de bonis quæ liber.*  
 Ejusmodi igitur bona hereditaria filius commo-  
 dare potest. Quod de hereditate dictum est, etiam  
 in aliis casibus obtinet, ubi pater consensum filio  
 dare recusat, *all. l. ult. in pr.*

## CAPVT III

*Tractans de re, quæ a filio commo-  
dato dari potest.*

## §. I.

**R**EI vocabulum generale esse, appareat ex *l. 1.*  
*ff. de reb. credit.* Et latior est appellatio  
 rei, quam pecunia, quoniam etiam ea, quæ  
 extra computationem patrimonii nostri sunt,  
 continet, *l. 5. ff. de verb. signif.* Rei appellatio  
 ne & causa & jus continetur *l. 23. ff. d. t.* etiam man-  
 cipia *l. 32. §. 2. ff. de legat. 2.* JCtus tamen non  
 explicat rerum, v. g. elementorum, animalium,  
 plantarum, causas & naturas, sed quatenus cives  
 in iis jus aliquod habent, & circa res jus & justi-  
 tia administratur, disponit.

§. II. Non quidem omnium rerum signi-  
 ficaciones hic proponere nobis animus est, sed  
 brevi-

¶ (25) §

breviter nonnullas considerabimus, quas filius  
 alicui gratis ad utendum concedere potest. Et  
 quidem si filius rem corporalem, ejusdemque  
 liberam administrationem habet, potest utique  
 illam commodare. Definitur autem res corpo-  
 ralis in *t. Inst. de reb. corpor. & incorpor.* quod  
 sit, quæ sui natura tangi potest. His rebus  
 corporalibus sidera cœlestia annumerari possunt,  
 nec non res, quæ in profundo maris jacent, sed  
 quoniam tales non sunt objectum commodati;  
 & a nemine alteri ad utendum concedi possunt,  
 utique nec hac consideratione a filio commoda-  
 ri possunt. Postquam autem res extractæ sunt  
 e mari, commodari queunt. Necesse autem  
 est, ut res corporalis, cuius filius est dominus, si  
 eam alteri commodare gestit, ita sit comparata,  
 ne usu consumatur. *I. 6. §. 3. ff. commod.* Hinc res  
 fungibles a filio commodato dari nequeunt.  
 Dicuntur autem res fungibles, quæ propter na-  
 turæ vel artis similitudinem promiscuum usum  
 recipiunt, ita, ut propter omnimodam similitu-  
 dinem, quæ inter eas est, una fungatur vice alte-  
 riū, uthinc una pro alia solvi possit.

§. III. In præcedenti §. dictum, quod res  
 fungibilis, seu quæ usu consumitur, non sit ha-

D                      bili

bile objectum commodati? id vero universali-  
ter verum non esse, apparet ex eadem l. 3. §. 6.  
in f. ubi talia verba habentur: *nisi forte ad  
pompam vel ostentationem quis accipiat rem fun-  
gibilem.* Ei in l. 4. ff. d. t. ait Gajus: *Sæpe ad  
hoc dantur pecuniae, ut dicis gratia numerationis  
loco intercedant,* e. g. pecunia certo cuidam lo-  
culo aut cistæ inclusa, quæ ut corpus datur al-  
teri, ut hinc se divitem jactare possit, in casu  
fortassis matrimonii contrahendi. Et sic, quod  
uni legi deest, interdum ex alia lege est supple-  
dum.

§. IV. Res corporalis mobilis est, quæ sal-  
va manente materia, de loco in locum moveri  
potest. Et quidem, si filius rei mobilis dominus  
est, liberamque ejusdem administrationem ha-  
ber, illam commodare potest, quilibet enim rei  
suae moderator & arbiter est, l. 21. C. mandati;  
in tantum, ut non solum re sua uti, sed etiam  
abuti possit, l. 25. §. 11. ff. de heredit. petit. mo-  
do non immodice: rei enim publicæ interest, ne  
quis re sua male utatur, §. ult. Inst. de his, quis sui  
vel alieni jur. sunt. Schneidew. ad all. §. ult. Inst.  
Quod si igitur filius re sua abuti potest, quare  
non commodare? Qui enim alteri ad certum  
tem-

MS(27) 50

tempus rem suam utendam tradit, eamque sine  
ulla deterioratione recuperat, non potest dici,  
quod re sua abusus fuerit.

§. V. Quedam res mobiles ab alio mo-  
ventur, quædem a se ipso, l. 93. ff. de verb. signi-  
ficat. Ad priores pertinent, e. g. mensa, pileus  
&c. Ad posteriores equi, boves, oves &c.  
Jam filius dominus rerum mobilium atque  
se moventium, commodat Titio ad annum res  
mobiles. Sempronius etiam petit sibi commo-  
dari rem quandam mobilem, huic filius com-  
modando succurrere cupiens, ei promittit res se  
moventes. Lis postea oritur, inter illos duos  
commodatarios. Et Titius quidem putat, se ac-  
cipere omnes res mobiles & se moventes, quia  
is, qui omne dicit, nihil excludit. Sempronius  
vero huic contradicit, & pro se allegat l. 39. ff. de  
verb. signif. ubi res mobiles & se moventes ab  
invicem distinguuntur, adeoque ad Titium per-  
tinere talia mobilia, contendit, quæ alterius au-  
xilio in movendo indigent, ad se autem specta-  
re res, quæ a se ipso moventur. Quoniam Sem-  
pronii intentio in jure fundata, obtinebit res se  
moventes, eamque juvat expressa filii voluntas,  
quæ consistit in promissione rerum se moven-  
tiuum.

D 2

§. VI.

§. VI. Ad res mobiles libri pertinent, & illos commodari posse, certum est. Jam filius, ut literis incumberet, multos a parente accepit libros, horum quosdam an commilitoni suo commodare possit? dubium occurrit. Affirmativa sententia videtur probari posse, quoniam libri in collationem non veniunt post mortem patris, licet adhuc extantes. Struv. *ad ff. Exercit.* 37. §. 30. Si igitur plenum accepit dominium, atque commodatum non diu durat, fitque eo tempore, quo filius libris non utitur, & commodatarius iure commodata se gerit, uti decet, subsistet commodatum. Isto autem tempore, quo ipse filius libris uti debet, ut cito & feliciter ad optatum finem perveniat, cuius gratia ipsi libri comparati sunt, arma sua literaria commilitoni communicare nullam potestatem habebit. Et si vel maxime aliquando filius, quosdam libros commilitoni suo commodans, finem obtineret, non tamen ita confessim & feliciter homo doctus evadet: quin imo patris voluntas est, ut, quo cito possit, filius cursum studiorum absolvat. *arg. §. 3. Inst. de just. jur.*

§. VII. Rebus se moventibus homines accensentur, l.s. §. 6. 7. & 13. l. 22. ff. *commod. l. 22. C. d. t.*

AS (29) 5

d. t. videlicet servi, ancillæ. His nostris mo-  
 ribus æquiparantur homines proprii. Struv. Ex. 3.  
 th. 23. & quoad operas, famuli. Esto Casus :  
 Filius habet servum sive famulum, hunc alteri ad  
 certum tempus, certumque usum tradere pot-  
 est : Hic furtum commisit in istius rebus, & cum  
 servitia præstare debebat, rem quandam subtra-  
 xit, alienavit vel consumpsit ita, ut recuperari  
 plane nequeat, ipse vero furtum committens ni-  
 hil habet in bonis. Jam damnum passus, a filio  
 commodante satisfactionem desiderat, quid hoc  
 in casu juris, ratione damni dati? Filius com-  
 modans recusat damnum a suo famulo commis-  
 sum resarcire, regerendo, nemini officium suum  
 debere esse damnosum l. 7. ff. testam. quemadmo-  
 dum oper. Distinguendum igitur videtur, an sci-  
 verit commodans, famulum esse trium literarum  
 hominem, illudque commodatario non indica-  
 verit, & sic a damnum passo conveniri utique  
 potest ad resarcendum damnum, l. 22. ff. com-  
 mod. l. 30. ff. de pignorat. act. Si vero accipiens  
 famulum scivit hujus vitium, nec bene sibi pro-  
 spexit, regressum contra filium non habet, da-  
 num enim, quod quis sua culpa sentit, sentire  
 non intelligitur, l. 55. ff. de reg. jur. & ne-

D 3

mo-

mo videtur fraudare eos, qui sciunt & consen-  
tiunt.

¶. VIII. Res immobiles commodari pos-  
se, apparet ex l. 1. §. 1. ff. *commodat.* Filius igitur  
possidens agrum jure dominii, animum quidem  
non habet eam vendendi, neque locandi, ad cer-  
tum tamen tempus alicui utendum gratis conce-  
dere potest, id quod nihil aliud est, quam commo-  
dare. Immobiles autem res tales sunt vel natu-  
raliter, vel civiliter. Naturaliter vocatur res im-  
mobiles, quæ natura sua moveri nequit, l. 115.  
ff. *de verb. signif.* aut sola natura l. 44. ff. *de rei*  
*vindicat.* l. 17. pr. l. 18. ff. *de Actione empt.* aut arte  
firmiter solo cohærens. Struv. *Exerc. 3.* §. 82.  
Hahn. *ad VVesemb. de rer. divis. n. 4.* Civiliter  
pro re habetur immobili aliquando res cor-  
poralis natura mobilis, sed quæ ad rem quandam  
immobilem pertinet, ita ut ab ista civiliter sepa-  
rari nequeat. Struv. *d. Exerc. 3.* §. 84. e. g. vena-  
tores & canes venatici in feudo venatorio, sedi-  
lia in templis, instrumenta domus braxatoriæ,  
lecti in publico diversorio. Hahn. *ad VVesemb. de*  
*rer. divis. n. 4.* Quod si igitur filius prædictarum  
rurum sit dominus, eas alteri commodandi jus  
habet.

§. IX.

## §. (31)

§. IX. Reum etiam incorporealem filius commodare non prohibetur, e. g. si usumfructum aliquis rei habeat, nam usufructuarius ipse ea refriui, vel alteri locare, vendere aut fruendam concedere potest. l. 12. §. 2. ff. de usufruct. Et quemadmod. quis utat. Duplex autem quodammodo jus usufructuario competit, unum merum personale, illudque usufructuarii persona ista est affixum, ut ab eo avelli nequeat; Alterum reale, consistens in usu & fruitione rei fructuarie, hoc a fructuario abire atque in alium transferri potest. Vinn. ad §. 1. Inst. de usu & habitat. n. 5. Non obstat §. 3. Inst. verb. cedendo extraneo nibil. agitur, de usufr. Respondeatur enim, ibi intelligi jus personale. Consentit Hahn. ad Vesenb. quib. mod. ususfr. amitt. n. 5. ubi dicit, jus ususfructus personale extraneo cedi nequit.

§. X. Filius, qui habet usum ædium, ipse illas inhabitare debet, §. 2. Inst. de usu & habitat. neque locare seorsim, neque concedere habitacionem, neque vendere usum potest. l. 8. pr. ff. d. t. si vero ipse inhabitat, non prohibetur partem ædium, quam ipse non occupat, aut quando spatiose domus usus relictus est homini mediocri (pauperi) isque particula contentus est, alteri locali.

locare; ut pensionem accipiat, l. 4. pr. all. tit. quare filius poterit etiam ad tempus habitationem alicui concedere.

§. XI. Non solum unam rem, sed etiam plures, filius commodare potest. arg. l. 17. §. 4. ff. *commod.* quin & unam eandemque rem pluribus personis commodato dare, arg. l. 5. §. ult. ff. d. t. e. g. Caius & Sempronius currum habent, pertinet a Titio filio equum sibi commodari, quem currui jungere volunt, quo eo felicius iter absolvatur: hoc in casu uterque utilitatem accipit unius rei. Aliud dicendum, si filius eandem rem pluribus & diversis personis communicare vellet, ubi per unius personæ usum, altera eadem uti impediretur, tunc eum potius damnum inferret, quam commodum, quod est contra finem commodati.

§. XII. Nonnulli contractus rem alienam plane non admittunt, ita ut contractus non subsistat. Quidam vero admittunt rem alienam, ut contractus sit validus, & obligatio ni satisfiat, quales sunt, in quibus nec dominium, nec aliud jus in re transferendum est. Hisce contractibus commodatum annumeratur. Ec-kolt. ad. ff. tit. *Commod.* §. 3. Hahn. ad *Vvesenb.* d. t.

n. 4.

n. 4. Filius ergo, rem alienam possidens, commodare illam potest. *I. 15. ff. commod.* Cæterum rei commodatae & possessionem & proprietatem retinemus, *I. 8. ff. d. t.* Nemo enim commodando rem facit ejus, cui illam commodat, *I. 9. ff. all. tit.* Quid, si filius rem quandam abstulerit, & alteri commodaverit, an commodatum hoc valeat? Affirmatur *I. 16. ff. d. t.* Commodatum enim inter commodantem & commodatarium subsistit, ut obligatio inter illos nascatur, adeoque ille rem repetere, hic autem eo prætextu, quod res aliena sit, ejusmodi restitutionem recusare nequit. Hoc autem domino non officit, sed huic fur obstrictus est ad restitutionem, & a commodatario dominus rem vindicare potest. Hahn.  
*ad VVesenb. tit. Commod. n. 4.*

§. XIII. Finito usu non licet aliam rem restituere filio, sed eandem, quam quis accepit, *§. 2. Inst. quib. mod. re contrab. oblig. arg. I. 2. pr. ff. de reb. credit.* In hoc differt commodatum a mutuo, in quo accipiens idem genus (secundum Philosophos eandem speciem) restituere obligatur. Commodandum autem dari solet ad certum usum nec revocatur regulariter ante illum finitum: aliter se res habet in precario, *I. 1.*

E pr.

*pr. ff. de precar.* hoc enim dicitur, quod precibus  
petentis utendum conceditur tamdiu, quamdiu  
is, qui concessit, patitur. l. 2. §. 2. ff. d. t. In l. 1. §. ult.  
*ff. alleg. tit.* precarium quidem commodato simi-  
le esse dicitur, sed non in omnibus. cit. §. ult.

## CAPVT VI.

*Differens de Actione filio com-  
petente.*

## §. L

**D**ominium in commodato non transfertur,  
nec possessio, l. 8. l. 9. ff. *commod.* Videtur  
equidem obstare l. 9. ff. *de rei vindicat.*  
sed distinguendum inter possessionem & deten-  
tionem; commodatarius quidem rem detinet,  
non autem possidet, quia possessio & proprie-  
tas penes commodantem manet. all. 8. & 9. ff.  
*commod. d. l. 9. ff. de rei vindicat.* l. 30. ff. *de acqui-  
rend. vel amitt. possessio:* vel distinguendum inter  
possidere, & in possessione esse. §. 3. *Inst. de in-  
terdictis.* Si quis velit ulterius objicere, quod  
in l. 5. §. 12. ff. *commod.* inveniatur verbum *dare*,  
*dare* vero est dominium transferre. Responde-  
tur, in *alleg.* §. 12, dominium non esse translatum,

SC (35) SE

ex eodem suo apparat, ubi verbum reddere invenitur: quam vero rem quis reddere obligatur, dici non potest, quod illius rei dominum acceperit. Repetenti jam filio commodati, contra commodatarium rei acceptae restitutionem accusantem, datur actio commodati directa, l. 9. ff. de oblig. & action. l. 2. c. commod. ne commodatarius fiat locupletior cum damno filii commodantis. l. 206. ff. de reg. jur. Hinc Cicero libro 3. officior. inquit: Detrabere aliquid alteri, & hominem hominis incommmodo augere suum commodum, magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cetera, quae possunt aut corpori accidere. aut rebus externis.

§. II. Tempus a filio in commodato praescripto observari necesse est, isto ergo praeterlapsso, non competit commodatario facultas diutius rem alienam retinendi, si commodans tempus prolongare nolit, sed suo jure uti, & actionem commodati instituere velit l. 5. pr. ff. commod. Accipiens igitur intra praescriptum tempus re commodata uti potuit, & si id facere negligat, nullam inde querelam movere potest, quod nihil commodi ex commodato perceperit, damnum enim, quod sua culpa quis sentit, sentire

E. 2

non

non intelligitur, & sibi, non alii, hoc imputare debet. *l. 203. ff. de reg. jur. in 6.* Etiam si vero re uti voluerit, & casu quodam impediatur, nihilo minus eam ultra determinatum tempus retinere nequit, nam filius tunc reperens, utitur jure suo, qui vero jure suo utitur, nemini facit, injuriam *l. 55. de reg. juris & nemo damno facit, nisi qui id fecit, quod facere jus non habet, l. 151. ff. de reg. jur.*

§. III. Locum etiam restituendæ rei filius in commodato determinare potest, *arg. l. 5. ff. commod.* quod si igitur placuit contrahentibus, commodato in certo loco reddi, filius non est obligatus, alio in loco rem commodatam recipere, etiam si damnum restituens sentiat, si in adjecto & determinato loco rem acceptam restituere cogatur, pacta enim dant legem contractui *l. 23. ff. de reg. jur.* & sibi imputet commodatarius, quod non in commodiorem locum consenserit, *arg. l. 17. §. 3. ff. commodat.* & quod semel placuit, amplius displicere non potest, *cap. 21. de reg. jur. in 6.* nemoque videtur fraudare reos, qui sciunt & consentiunt, *l. 145. de reg. jur.*

§. IV. Commodatum sit usus gratia, §. 2. *Inst. quib. mod. re contrah. oblig. l. §. 4. ff. de oblig.*

*lig. & action.* usus autem vel certus est, vel incertus: ille, e. g. si filius res suas commodatario tradat, ut illas creditoris suo pignori det, l. s. §. 12. ff. *commod.* Etiam si vero usus non fuerit determinatus, commodatarius tamen ita in utendo se gerat, sicuti rei natura hoc efflagitat, e. g. desiderat quis uti alterius scalpello, hoc potest adhibere ad præparandum pennam scriptoriam, non ad scindendum lignum. *Quando* igitur quis re commodata aliter utitur, ac debet, non solum actio commodati contra illum institui potest, sed etiam furti actio locum invenit l. s. §. 8. ff. *commod.* l. 54. pr. ff. *de furt.* præsertim si dolo malo & lucrandi animo hoc faciat; secus si non invito domino illud fieri crediderit. l. 76. pr. ff. d.t.

§. V. Usum a filio præscriptum commodatarius si probe observaverat, propter rei deteriorationem conveniri nequit, nam in l. 10. pr. ff. *commod.* sequentia inveniuntur verba: *Eum, qui rem commodatam accepit, si in eam rem usus est, in quam accepit, nihil praestare, si eam in nulla parte culpa sua deteriorem fecerit.* Et pomponius in l. fin. d.t. aut: *Si commodaverotibi equum, quo uteris usque ad certum locum, si nulla culpa tua interveniente in itinere deterior factus sit,*

non teneris commodati, nam ego in culpa ero, qui  
in tam longum iter commodaverim, qui illi non  
fuerit ferendo itineri. Facit etiam pro commo-  
datario hæc ratio, quod senectute contigit, vel  
morbo, vel vi latronum ereptum est, aut quid  
simile accidit, nihil eorum imputandum esse ei,  
qui commodatum accepit, nisi aliqua intervenerit  
culpa, l. 5. §. 4. ff. *commod.* l. 18. pr. ff. *ead.* tit. l. 7.  
§. 4. ff. *de oblig. & action.*

§. VI. Is, qui utendum quid accepit, ex a-  
etiam diligentiam præstare tenetur. §. 2. *Inst. quib.*  
*mod. re contrah. oblig.* nec sufficit tantam diligen-  
tiam adhibere, quantam suis rebus adhibere so-  
litus est commodatarius. Approbat id ipsum  
Ictus Gajus in l. 18. pr. ff. *commod.* ubi in-  
quit: *In rebus commodatis talis præstanda est di-*  
*ligenzia, qualem diligentissimus quisque pater fami-*  
*lias suis rebus adhibet, & in l. 1. §. 5. ff. *de obligat.**  
*& action.* dicitur: *Eum, qui utendum accepit, ex-*  
*attissimam diligentiam custodienda rei præstare*  
*compelli.* Si igitur culpa commodatarii res in-  
teriuit, actio commodati directa institui potest.  
Struv. *Exerc.* 19. §. 9. præsertim si ad commodum  
accipientis res tradita sit, tunc enim levissima  
culpa præstatur. l. 5. §. 2. & §. l. 18. pr. ff. *commo-*  
*dat.*

¶§ (39) §.

*dat. si vero utriusque gratia commodatum fa-*  
*ctum accipiens tenetur de levi tantum culpa, all.*  
*l. 5. §. 2. ff. commod. l. 18. pr. verb. et si utriusque ff.*  
*d. t. l. 17. §. 2. ff. de prescript. verb. Sin solius fi-*  
*lli commodantis intuitu, actio de dolo compe-*  
*tit, l. 5. §. 10. l. 10. §. 1. l. 12. pr. ff. commodat.*

§. VII. Quod si res commodata casu  
 interiit, actio commodati cessat, casum enim for-  
 tuitum nemo praestare tenetur. *l. 23. ff. de reg. jur.*  
*l. 6. C. de pignorat. act.* Casus autem fortuitus di-  
 ci solet omne id, quod humano captu prævideri  
 non potest, aut cui præviso non potest resisti, *l. 16.*  
*ff. commod. l. 15. §. 2. ff. locat. conduct.* *l. 6. C. de*  
*pignorat. acti.* Sed hoc demum procedit, quan-  
 do nihil objici potest, quam casus fortuitus. Ali-  
 ud dicendum, si mora casum præcesserit in resti-  
 tuenda re a filio tradita, unicuique enim sua mo-  
 ra nocere debet, *l. 173. §. 2. ff. de reg. jur. cap. 25.*  
*de regul. jur. in 6.*

§. VIII. Mora igitur interveniente obligatio-  
 perpetuatur, & si res debita post moram a debitore  
 commissam perierit, perinde ille tenetur, ac si res ad-  
 huc extaret, *l. 23. f. de verbor. obligat.* *l. 82. §. 1. l. 91. §. 3.*  
*ff. d. t.* Hinc moram committens si velit objicere,  
 impossibile esse, rema consumptam posse restitui, filius  
 illi respondebit: *Qui dolo desit possidere pro possi-*  
*der.*

dente damnatur, arg. l. 131. ff. de reg. juri. & l. 157. d. t. &c  
 qui dolo facit, quo minus haberet, pro eo habendus,  
 ac si haberet. Et licet rem ipsam non posse restitu-  
 ere, attamen rei interemptæ pretium restituere debet,  
 l. 17. §. ult. b. t. Invito autem commodanti res similis  
 obrudi nequit, Lauterb. in Compend. §. b. t. §. 9. p. 222.  
 Quid juris, si filius rem corruptam receperit, nihilque  
 de deterioratione dixerit, an actio ad interesse locum  
 habebit? Distinguiri solet, utrum vitium appareat, nec  
 ne: Priori casu si sciens simpliciter receperit, videtur  
 estimationem damni remissile, nam si animum habuis-  
 set jus suum prosequendi, cum protestatione recipere  
 potuisset, protestatio enim conservat jus protestantis,  
 Schneidev. ad §. 17. J. d. act. n. 21. Posteriori casu non  
 æque. Wissenb. ad ff. commod. §. 13. Meier autem in  
 Colleg. Argentor. §. 13. n. 12. dissentit & pro sua senten-  
 tia adducit l. 8. §. 15. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv.  
 Pro quo potest facere, quod scient & tacens non cen-  
 scatur renunciasse actioni ad inter esse, cum remissio  
 aut renunciatio non presumatur, sed liquido probari  
 debeat. Vid. Brunnem. ad l. 3. ff. commod. Georg. Beyer.  
 ad ff. b. t. posit. 15. ait: deteriorata rei interesse, præstan-  
 dum, licet commodans eam simpliciter & absque pro-  
 testatione receperit.

Hæc sunt, quæ pro ingenii mei viribus & tempo-  
 ris ratione de hac utili materia colligere potui, si qua  
 in re erratum sit, benevolus Lector ilud mihi vitio  
 non vertet, omnium enim memoriam habere &  
 in nullo errare potius Divinitati, quam hu-  
 manitati, adscribitur.

Soli DEO Gloria!

**ULB Halle**  
003 742 458

3



f  
TA → OL

nur 1+9 Stück verknüpft



B.I.G.

Black



882.

1710, 20<sup>a</sup>  
2  
II  
J. N. J.

DISPVATI<sup>O</sup> JVRIDICA

De

# COMMODATO FILII

Ob ein Sohn Macht habeemanden etwas  
zum Gebrauch zuverleihen.

Quam  
DIVINA FAVENTE GRATIA  
SVB PRÆSIDIO  
VIRI ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI  
DOMINI

# CHRISTIANI WILDVOGELII

ICTI,

SERENISS. DVCIS SAXOSENAC. CONSILIARI STATVS INTIMI,  
CURIA PROV. FACVLT. JVRID. ET SCABIN. ASSESSORIS GRA-  
VISSIMI ET ANTECESSORIS FAMIGERATISSIMI.

Dn. Patroni & Præceptoris sui omni obser-  
vantia cultu devenerandi,  
Publicæ Eruditorum ventilationi subjicit,

AVTOR & RESPONEENS  
SAMVEL Herber/ Lubenâ Lusatus.

D. JVNII ANMO. M. DCC. X.  
IN AVDITORIO JCTORVM

JENÆ,  
LITTERIS MULLERIANIS.